

eleganti cælatura atque sculptura, auro undique fulgente, 1577
compensata sunt.

M. D. LXXVIII.

SUmmum inde mœrorem cum Venerius Princeps contraxisset, exacta jam ætate, superioribus vitæ laboribus & curis pro Republica susceptis confectus, naturæ concessit. Exequiis de more habitis, pari animi ardore, haud imparibus in Rempublicam meritis, eadem ætate, eadem apud omnes estimatione, pro supremo magistratu obtinendo Jacobus Superantius, & Paulus Theupolus adnitebantur. At dum virtutis ac laudis æmulatione rapti ad fastigium anhelant, Nicolao Pontio, Marcio Procuratori, ea dignitas est delata, qui suæ veluti fortunæ faber, in angusta ac tenui re firmissimis futuræ amplitudinis jactis fundamentis, a liberalium artium ac philosophiæ studiis, quæ publice Venetiis, mandante Senatu, per aliquot annos professus fuerat, ad Rempublicam transfessus, prudentia ac dicendi vi inter ceteros eminens, omnes honorum gradus emensus fuerat. Ab omnibus Italiæ Principibus legationes, quibus & liberatam pestilentia civitatem, & initum a Pontio principatum gratulabantur, confluxere. Ab Emanuele Philiberto Sabaudia Veruæ Comes; a Francisco Magno Hetruriæ Duce Joannes Alamannus; ab aliis alii accessere, publicæque tranquillitatis spe aucta, a maritimo apparatu eo anno cessatum.

Jam enim Amurathes, Mustapha imperatore declarato, bellum cum Persarum Rege cœperat, copiis omnibus veris initio ad Simbram, quod *Arzirum* hodie vocant, cogi iussis. Inde Mustaphas in Mediam Atropaciam (*Sirvanum* dicunt) contendit. Lustrato exercitu, cum usque ad Periardos montes (*Chielder* appellant) in Persarum fines se intulisset, commisso prælio, victoria penes Persas fuit. Verum cum ad Canacum amnem, ex quo in Mediam trajicitur, ventum esset, Persis transitum intercludere conantibus deletis, fluvio superato, Erem primo objectam civitatem occupat, præsidioque militum firmat. Osmanum Bassam ad Sumacchiam, Mediæ caput, oppugnandam mittit, quam statim, oppidanis sese deden-

1578

Sebastiani
Venerii
Principis
obitus.

Nicolai
Pontii
Principis
electio.

Italorum
Principum
ad Venetos
legationes.

De bello
Persico nar-
ratio.